

ACTA

SECUNDÆ SYNODI DICECESANÆ STI. GERMANI DE
RIMOUSKI

LITTERÆ PRO SYNODI CONVOCATIONE

JOANNES LANGEVIN,

*Dei et Apostolice sedis gratia primus Episcopus Sancti Ger-
mani de Rimouski,*

Dilectis in Christo Cooperatoribus nostris, curam ani-
marum gerentibus, omnibusque ex nostræ
dicecesis Clero Filiis,

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN DOMINO

Fere elapsum est secundum lustrum a sessione
primæ diœcesanæ Synodi nostræ, Dilectissimi Coope-
ratores, et tempus pridem opportunum Nobis videtur
ut denuo convocentur presbyteri, ut cum clero nostro
expendamus quanto profuerint Statuta tunc promul-
gata et quænam præsentes necessitates requirerent.

Hisce igitur nostris litteris, de consilio Vene-
rabilium Capituli et Canonicorum cathedralis nos-
træ, nobis visa est secunda Synodus diœcesis nostræ
convocanda, et in Seminario nostro die 26a augusti
proximi sessura. Pridie habebitur actio præsynodalis.

In hoc cœtu peculiari modo agitabuntur exitus
in exequendis usque nunc primæ Synodi Statutis,
modificationesque vel elucidationes eisdem afferendæ;